

DISPUTATIO III.

De Satisfactione Christi.

EX dictis præcedente Disput. manet certum, quod ad satisfaciendum pro peccato : id est, ad exhibendam opus tantæ æstimabilitatis Deo, quo exhibito cessat justæ offensæ fundamentum, Christus venerit. Quo supposito variæ hujus satisfactionis proprietates examinantur.

QUÆSTIO I.

An satisfactio Christi sit sufficiens ?

DICO : *Per passionem suam Christus satisfacit pro peccato humani generis.* S. Th. hic Q. 46. a. 1. ad 3, Sive satisfactio Christi fuit sufficiens, & ex sua intrinseca condignitate & valore non tantum ex acceptatione divina condigna imò superabundans,

Prima pars probatur. Ex Trid. sess. 6. de justif. can. 21. ubi Concilium definit Christum datum esse nobis in Redemptorem, & Legislatorem. Patet etiam ex Script. ad tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* I. Joan. 2. v. 2. *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Obj. 1. Si Christi satisfactio sit sufficiens ad satisfaciendum pro peccato, nulla potest amplius ab homine exigere satisfactio; atqui hoc est falsum; ergo.

¶. N. sequelam maj. Quia licet opera Christi habeant omnem sufficientiam ad deletionem peccati

cati,
etiam
sacram
bis op
y. 9. d
causa f
Obj.
fecit;
culpa
homo
biror m
quæ a
¶.
tum æ
tates cu
effectus
per le v
relicta
nem reli
ada p
ubi suffie
refundit
Proba
delictum
moris fa
gratia o
abundant
Sicut pe
dendos,
nos salva
malitia &
stitione
sicut satis
fuit ad r
Proba

cati, attamen ex ordinatione divina requiritur etiam applicatio hujus satisfactionis per fidem, sacramenta & bona opera, ut illa satisfactio in nobis operetur effectum, unde Apost. ad Hebr. 5. v. 9. dicit: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.*

Obj. 2. Si Christus sufficienter pro nobis satisfecit; ergo extinxit omne debitum, non tantum culpæ, sed & pœnæ; sed hoc non: siquidem homo adhuc patitur fomitem peccati, est debitor mortis, & aliis pœnalitatibus est subiectus, quæ à peccato originali trahunt originem.

R. N. sequelam; Quia sufficit extinxisse debitum aeternæ pœnæ, aliæ verò miseriæ & pœnalitates cum tantum indirectæ & per accidens sint effectus peccati tanquam removentis prohibens per se verò consequantur conditionem naturæ sibi relictae, meritò ad majorem meritorum occasionem relinqui potuerunt.

2da pars. Contra Scotum in 3. dist. 19. & 20. ubi sufficientiam meritorum & satisfactionis Christi refundit in acceptationem divinam.

Probatur 1. Ex illo ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita est donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei est donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit;* Ex quo tale formatur argumentum; Sicut peccatum Adæ vim habuit ad omnes perdendos, ita satisfactio Christi vim habuit ad omnes salvandos; atqui peccatum Adæ ex propria malitia & non ex sola Dei acceptatione vel constitutione vim habuit omnes perdendi; Ergo similiter satisfactio Christi ex proprio valore sufficiens fuit ad redemptionem.

Probatur 2. Ex Extrav. Unigenitus de Pœnit.

Remiss. ubi Clem. VI. dicit : unam Sanguinis Christi guttam esse sufficientem satisfactionem pro omnibus peccatis totius humani generis , non ex gratuita acceptatione divina , sed ex dignitate & valore intrinseco , quem habuerunt ejus actiones ex unione humanitatis ad Verbum,

Probatnr 3. SS PP. communiter docent incarnationem necessariam fuisse , ut Deo pro peccatis fieret satisfactio condigna , at si Christi satisfactio tantum sit condigna ex gratuita Dei acceptatione , non verò ex proprio & intrinseco valore , non fuisset necessaria incarnatio : quia gratuito Deus acceptare poterat satisfactionem puræ creaturæ.

Probatnr 4. Illa satisfactio est condigna , cujus valor in morali hominum æstimatione adæquat gravitatem injuriæ ; atqui valor satisfactionis Christi intrinsecè adæquat gravitatem offensæ ; quia gravitas offensæ ponderatur ex eo , quod contra Deum est , satisfactio autem Christi est etiam satisfactio Dei.

Obj. Valor satisfactorius operum Christi non adæquat gravitatem offensæ. *1mò* : Quia Deo ut Deo est irrogata injuria , Christus autem ut homo satisfecit. *2dò* : Quia Christi satisfactio non tantum placet Deo , quantum displicet peccatum , quod contrariatur divinæ bonitati.

Re. N. Ant. Ad 1. Probat. dicitur : Christum satisfecisse , ut Deum & hominem. Ad 2dam dicitur : Per peccatum destrui divinam bonitatem in affectu , non in effectu , & ideò Deo non tantum displicet peccatum , quantum placet divina bonitas,

3tia Pars probatur : Satisfactio Christi fuit ab intrinseco & perfectior , & in ordine superiore quam

quam offensa *1^{mo}*: quia peccatum est tantum ob-
 jectivè & extrinsecè infinitum secundum quid,
 econtrà satisfactio Christi est infinita etiam subje-
 ctivè & intrinsecè, adeoque simpliciter: ut pro-
 babitur infrà, *2^{dò}*: Quia dignitas satisfactio-
 nis Christi fundatur in reali & physicâ unione hy-
 postaticâ, per quam saltem mediatè operationes
 uniuntur divino supposito; Econtrà offensæ gra-
 vitas fundatur in dignitate divinæ personæ solum
 extrinsecè terminante; Ergo satisfactio est super-
 abundans: quare ad Rom. 5. v. 20. dicitur: *Ubi
 abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Dices. Videtur Deus peccasse contrà Leges ju-
 stitiæ exigendo majorem à Christo satisfactionem,
 quam esset offensa.

R. N. Aff. Tum enim solum peccatur contrà
 Leges justitiæ, quando æqualis satisfactio est pos-
 sibilis, impossibile autem est propter infinitatem
 suppositi, ut Christus ad æqualitatem pro peccatis
 satisfaciatur, quin simul satisfaciatur superabundanter.

Q U Æ S T I O II.

An satisfactio Christi sit infiniti valoris?

Suppono 1. Valor satisfactorius alicujus opera-
 tionis est æstimabilitas operis, vi cujus actio
 est idonea ad æquivalentem compensationem pro
 injuriâ illatâ. Valor meritorius est vis moralis ope-
 ris, potens movere præmiantem ad dandum præ-
 mium. Quamvis autem hi duo valores formaliter
 distinguantur, in præsentî tamen de utroque
 indifferenter procedit quæstio, an valor tam satis-
 factorius, quàm meritorius operationum Christi,
 fuerit infinitus?

Suppono 2. Sicut in Christo fuerunt duæ natu-
 ræ:

rae Divinae & humanae, ita & duplices fuerunt actiones divinae & humanae; operatio divina erat; quando imperabat ventis, resuscitabat Lazarum, humanae actiones erant Vigiliae &c. operationes divinas infinitas fuisse, clarum est; an autem operationes humanae, quae licet procedebant immediate ab humanitate tanquam principio *quo*, mediate tamen procedebant a divino supposito, quod erat principium *quod*: quia actiones sunt suppositorum, & ideo a SS. PP. Theandricae vel Dei vitiles appellantur. An inquam haec operationes humano-divinae infiniti valoris meritorii & satisfactorii fuerint, hic quaeritur.

Suppono 3. Operationes Christi humanas considerari posse 1. in esse physico 2. in esse moralis bonitatis, 3. in esse morali meritorii & satisfactorii. In esse physico finitas esse patet: procedunt enim a potentiis physicis finitis naturae humanae, & consequenter accipiunt esse finitum; in esse moralis bonitatis & honestatis enim finitae sunt: quia honestas moralis est habitudo conformitatis ad objectum, ut consentaneum rectae rationi; haec autem finita est: quia objectum est limitate propositum ab intellectu: siquidem intellectus creatus objectum non nisi finite & limitate proponere potest. De operationibus Christi in esse morali meritorii & satisfactorii

Suppono 4. Operationes Christi in esse meritorii & satisfactorii infinitas fuisse saltem extrinsecè & ex acceptatione divina, apud Catholicos certum est: quia suffecerunt ad delenda quaelibet & quantalibet peccata, ita ut nunquam exauriri potuerint: ut definitum est in Exttav. Clem. VI. Unigenitus de Poenit. & Remiss. sed quod disputatur, est, an intrinsecè & independententer a gratuita

uita acceptatione divina habuerint valorem infinitum meritorium & satisfactorium.

DICO: *Dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* S. Th. hic Q. 48. a. 2. ad 3. Sive opera Christi sunt ab intrinseco valoris meritorii & satisfactorii infiniti. Est communis contra Scotum qui loc. cit. contrarium deducit.

Probatur 1. Ille valor meritorius & satisfactorius est infinitus, cujus forma constitutiva est simpliciter infinita; atqui forma constitutiva valoris operum Christi est infinita; Ergo, probatur. Forma constitutiva valoris satisfactorii & meritorii est illud, à quo operatio habet, quod sit acceptabilis ad præmium & compensationem pro injuria; atqui opera Christi ab infinita dignitate personæ, à qua procedunt, habent, quod sint acceptabilia ad præmium & compensationem pro injuria: sicut enim in naturalibus obsequium præstitum à principe à persona exhibente accipit acceptabilitatem ad præmium & satisfactionem & in supernaturalibus opera hominis justi à dignitate personæ operantis, quam habet à gratia habituali, accipiunt intrinsecam dignitatem meriti & satisfactionis pro peccato veniali, ita opera Christi à dignitate personali & infinita Verbi divini accipiunt intrinsecè valorem infinitum juxta illud ad Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reverentia, & quidem cum esset Filius Dei &c.*

Probatur 2. Verbum divinum tribuit infinitam quandam sanctitatem naturæ humanæ, cui immediatè unitur per unionem hypostaticam; ergo etiam infinito valore afficit operationes ejusdem

naturæ capaces moralitatis, quibus vi ejusdem unionis mediata conjungitur: sicut enim Verbum immediatè sustentat naturam humanam; ita mediata sustentat opera, à natura humana suppositata procedentia, eaque specialiter facit sua; ergo sicut Verbum propter immediatam conjunctionem infinità dignitate & sanctitate morali afficit naturam; ita propter mediatam conjunctionem afficit operationes ejusdem naturæ, quæ quamvis à sola humanitate procedant ut principio *quo* seu elicitivo formali & proximo, sunt tamen à persona Verbi ut principio radicali & *ut quod*, tum activo: quia activè procedunt à natura ut suppositatâ per personam Verbi; tum passivo: quia cum sint actus immanentes, subjectantur & recipiuntur in natura humana suppositata.

Probat 3. Ipsa persona operans est intrinseca pars satisfactionis; atqui illa in satisfactione Christi est infinitæ dignitatis, ergo satisfactio est infiniti valoris. *Major* probatur: Dignitas personæ operantis in obsequium alterius, cui se per obsequium submittit, moraliter informat opera in alterius obsequium præstita, eisque quodammodo se tribuit, dum persona operans opera non in abstracto, sed ut conjuncta cum operante ejusque dignitatem secum deferentia exhibet, ita ut ex persona Verbi & actu meritorio integretur objectum adæquatum divinæ complacentiæ, vi cujus movetur Deus ad præmiandum. Unde aliqui operationes Christi vocant reflexas, non in hoc sensu præcisè, quod illas faciens & eliciens fecerit reflexionem mentis suprâ proprium suppositum, illud simul offerendo; sed quod in esse satisfactorio & meritorio secum trahant & deferant dignitatem suppositi, à quo procedunt. Ex dictis

Sequi-

Sequitur 1. Quod persona Christi infinita tribuerit dignitatem & æstimabilitatem operibus, quæ in Dei obsequium exhibuit, independenter ab eorum moralitate & bonitate intrinseca, dummodo in iis repererit capacitatem sive laudabilitatem in genere moris.

Sequitur 2. Valorem meritorum Christi spectatum præcisè prout partialiter oritur à bonitate morali operum finitâ & limitatâ, esse finitum, esse tamen infinitum, etiam prout oritur ex dignitate operantis.

Obj. 1. Persona offensa non tribuit offensæ gravitatem simpliciter infinitam: quia est terminus extrinsecus actionis offensivæ; ergo, cum persona satisfaciens etiam sit terminus extrinsecus actionis satisfactoriæ, non tribuit huic valorem infinitum.

R. Negando Consequentiam: Persona satisfaciens est principium extrinsecum actionis satisfactoriæ in esse physico, non in esse moris: quia in esse moris est principium formale, intrinsecè constituens valorem satisfactionis & meriti; è contra persona offensa etiam in esse moris est objectum terminans offensam, & idèò actio Christi dicitur deificata & Theandrica, offensa verò non dicitur divina, sed Dei.

Obj. 2. Suppositum divinum non est principium actionis humanæ Christi, ergo ex hoc capite non potest dare valorem infinitum. Probat^r Ant. Quia personalitas non est virtus operandi, sed tantum conditio operandi, ergo non influit in operationes.

R. Distinguendo consequens: Ergo non influit in operationem proximè ut *quo* per modum principii physicè efficientis Con. per modum prin-

cipii, ut *quod* moraliter & formaliter dignifi-
cantis N.

Obj. 3. principium radicale & *ut quod* influens
per principium *quo* & proximum finitum & limi-
tatum non potest producere effectum nisi fi-
nitum; atqui suppositum est principium radicale
& *ut quod*, natura autem humana vel potentie
animæ, quibus mediantibus, tanquam principiis
proximis operationes à Christo eliciuntur, sunt prin-
cipia limitata & finita; ergo non nisi finitas actio-
nes producant.

ꝛ. Distinguendo Mi. Potentie animæ sunt
principium proximum & *ut quo* elicitur opera-
tio Christi in esse physico & quoad Entitatem Con-
in esse valoris meritorii N. Valorem meritorium
operationum Christi infinitum solum supposito
attribuimus: cum valor meritorius, qui actioni
secundum se convenit, ut ante dictum est, abstra-
hendo a supposito infinitæ dignitatis, sit finitus.

Obj. 4. Deus, qui est operationum ad extrâ
principium, illas non infinitat; ergo etiam licet
suppositum divinum sit principium *quod* actionum
Christi non potest illis dare valorem infinitum.

ꝛ. N. Consequentiam: Disparitas est: quia
Deus ad illas operationes solum concurrat, ut
agens physicum ejus dignitate solum materialiter
se habente, ut ad valorem tritici materialiter se
habet dignitas Regis, illud venale exponentis;
suppositum autem ad operationes Christi satisfa-
ctorias concurrat, ut agens morale.

Obj. 5. Spiritus sanctus in justis per gratiam
operatur actiones supernaturales, quæ tamen ex
hoc, quod Spiritus sanctus sit illorum principium
efficiens, non sunt infinitæ; ergo nec Verbum, eò
quod sit principium radicale elicitivum operatio-
num

dignifi. **nam** moralium Christi, eas infinite dignificat.

influens & limi- **R. N. Consequentiam** ; Quia persona Verbi
nisi fi- aliter se habet ad satisfactiones Christi, quam
radicale Spiritus sanctus ad actiones supernaturales justorum,
otentia: quas non dignificat infinite : quia, licet sit
incipiis illarum causa principalis, non tamen est persona
nt prin- illas per naturam sibi unitam eliciens, & suo
s actio- nomine Deo exhibens.

æ sunt **Obj. 6.** Si merita Christi sint infiniti valoris,
opera- ergo sunt æque digna, sancta & accepta Deo,
m Con- quam ipsa persona Verbi; atqui hoc est absurdum:
torium persona enim est ipse Deus, merita vel actiones
pposito meritoria sunt aliquid creatum.

actio- **R. Distinguendo Anteced.** Sunt æque digna
abstra- eodem modo N. Diverso modo Con. persona Ver-
nitas. bi seipsa est infinite sancta, sanctitate increata,
d extra sibi per identitatem intrinsecâ ; actiones Christi
m licet non sunt Sanctæ sanctitate ipsis identificatâ, sed
ionum dignitate & sanctitate ipsis moraliter communi-
ritum, catâ, eò quod procedant ab humanitate unita
quia Verbo.

t, ut **Obj. 7.** Si actiones Christi habeant valo-
ialiter rem meritorium infinitum; ergo ipsis debetur in-
iter se finitum præmium; ergo non possunt de condigno
entis; præmiari: cum infinitum præmium implicet.

atista- **R. Distinguendo ult. probat.** Infinitum præ-
atiam mium Categorematicum implicat Con. Syncate-
en ex gorematicum N. ad meritum infinitum non requi-
pium ritur, ut actu infinitum præmium eidem con-
m, eò feratur, sed quod habeat tantam vim movendi ad
atio- retributionem, ut dato quovis præmio habeat
num ulterius proportionem ad aliud & aliud præmium
in infinitum.

Obj. 8. Si valor meritorius sit infinitus; ergo in
una operatione non erit major quam in altera.

inò in omnibus; ergo unâ minimâ operatione tantum satisfecit Christus, quantum passione, morte & omnibus aliis; & per consequens Deus fuit necessitatus ad acceptandam talem satisfactionem, quod videtur absurdum.

R. Distinguendo 1. Sequelam: Ergo in una non fuit major in actu primo & intensivè Con. extensivè & in actu secundo N. igitur, ob infinitam dignitatem personæ, in una operatione Christi tantus fuit valor & virtus merendi omne præmium possibile in actu primo, quam in omnibus simul sumptis; sed quia Christus non unicam tantum operationem, sed omnia vitæ suæ opera usque ad mortem, per modum unius meriti consummandi, ordinavit ad præmium & satisfactionem pro peccatis, idè juxtâ hanc explicationem plus meruit per omnia opera, quàm per unum.

R. Ad ultimam sequelam: Quod licet Christi operationes fuerint infinitæ in actu primo, & de se proportionatæ cuilibet præmio; ad hoc tamen ut vim in actu secundo habuerint Deum efficaciter movendi ad certum præmium, necessaria fuit acceptatio, quâ positâ, necessarium erat Deo necessitate consequente illa remunerare. Ex his

Colliges 1. Satisfactionem Christi non esse ex eo capite simpliciter infinitam, quod Christus per eandem seipsum tanquam pretium infinitum obtulerit; talis enim infinitas est extrinseca & objectiva, ratione infinitæ rei oblatae; & sic oblatio Christi Domini à Beata Virgine in templo facta etiam infinita fuisset.

Colliges 2. Aliter opera Christi dignificari à dignitate Christi, quam opera justî dignificentur per gratiam: quia, cum dignitas Christi sit personalis, libero arbitrio non subjecta, infinita &

indivi-

indivisi-
nem oper-
ne sancti-
liter oper-
est usui
tur à volu-
suum valo

An

Suppono
ostent
ut satisfaci-
lias, quæ
ad scriptum
ditoris: a
ellet satisfi-
prius; qui
cu fit satis
quod ante
satisfactio-
bet alio ti-
esse oblig-
DICO
inveniens
am Christ-
Et in homi-
hic Q. 46
gore justie
Probat
satisfactio
tamen an
possunt.

indivisibilis, omnem suum valorem & dignitatem operationi communicat; dignitas autem gratiæ sanctificantis influit per modum habitûs radicaliter operativi, qui recipit majus & minus, & subest usui liberi arbitrii: ideoque prout applicatur à voluntate operante influit & communicat suum valorem.

Q U Æ S T I O III.

*An Christus satisfecerit de rigore
Justitiæ?*

Suppono: Præter æqualitatem satisfactionis cum offensa, ad rigorosam justitiam requiri *1^{mo}*: ut satisfactio sit ad alterum: quia perfecta æqualitas, quæ est de rigore justitiæ, non potest fieri ad seipsum. *2^{do}*: non debet fundari in gratia creditoris: aliàs enim non ex justitia, sed ex gratia esset satisfactio. *3^{io}*: debet esse ex bonis propriis; quia ut sit perfecta æqualitas, debet ille, cui fit satisfactio, acquirere dominium alicujus rei, quod antea non habuit, saltem eo modo, quo in satisfactione exhibetur. *4^{to}*: Satisfactio non debet alio titulo esse debita. *5^{to}*: Debet creditor esse obligatus acceptare talem satisfactionem.

DICO: *Hominem liberari per passionem Christi conveniens fuit. . . Justitiæ. . . quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis, & ita homo per justitiam Christi liberatus est. S. Th. hic Q. 46. a. 1. ad 3. sive Christus satisfecit de rigore justitiæ.*

Probatur 1. Ex Scriptura & SS. PP., apud quos satisfactio Christi sæpius justitia appellatur, quæ tamen analogicè de justitiâ minus stricta explicari possunt. Unde

Pro-

Probatur 2. Ratione: Satisfactio Christi habuit omnes numeratas condiciones rigorosæ justitiæ *1^{mo}*: enim satisfactio Christi fuit sufficienter ad alterum: *Probatur*: Christus satisfaciens & Deus offensus, cui satisfaciebat, habebant diversas realiter naturas; ergo erat sufficiens alteritas. *Probatur* Consequentia: ubi sunt diversæ naturæ, sunt diversæ voluntates, ubi sunt diversæ voluntates, possunt esse diversa Jura: cum Jus sit potestas libera disponendi de re ab alio non impedibilis fundata in voluntate; ubi autem sunt diversa Jura, etiam est sufficiens alteritas; & cerè in Christo fuit sufficiens alteritas in genere Religionis, obedientiæ; *Factus obediens usque ad mortem*. Ad Philip. 2. v. 8. Item in genere servitutis, cur non in genere justitiæ? cum Religio, obedientia, servitus sint ad alterum, & quidem inferioris ad superiorem.

Dices: S. Th. 2. 2. Q. 58. a. 2. O. dicit: *Justitia propriè dicta requirit diversitatem suppositorum*, atqui Christus satisfaciens non habet alteritatem suppositi, & distinctionem à persona cui satisficit; sicut enim tota Trinitas est offensa, ità & toti Trinitati satisfaciendum fuit.

14. Distinguendo: Christus satisfaciens non habet alteritatem formalem suppositi à persona, cui satisficit Con. virtualement N. *Explico*: Verbum divinum in Christo exercet munus duplicis suppositi divini & humani, & sic æquivalenter & virtualiter est duplex, & secum compatitur duas distinctas voluntates: divinam & humanam, & consequenter distincta jura & dominia. Suppositum igitur quatenus subsistens in natura humana per voluntatem humanam satisficit sibi ipsi, quatenus subsistens in natura divina, &

habenti

habenti voluntatem increatam ; sicut si divina persona assumeret plures humanitates, non est, cur inter illas naturas non possent intercedere contractus aliique actus iustitiæ.

2dò. Satisfactio Christi non fuit fundata in gratia creditoris, supplente defectum valoris satisfactionis, & satisfactionem supra valorem acceptante, quod obstaret rigorosæ iustitiæ ; licet fatendum sit ; quod satisfactio Christi fundetur in gratia unionis humanitati data, quæ tamen non supplet dignitatis defectum, nec accepta facit opera Christi ultra valorem, sed potius dat operibus Christi humanitatis dignitatem & valorem adæquantem, imò & superexcedentem injuriæ gravitatem, & idcirco non obstat talis gratia satisfactioni ex toto rigore iustitiæ. *Adde* : quod unio hypostatica, gratia, aliaque dona Christo collata, ex quibus satisfactio Christi dignitatem habebat, fuerint gratiæ in ordine ad humanitatem, quæ est principium tantum quo satisfaciens, non autem in ordine ad suppositum, quod est principium quod satisfaciens ; non enim ipsa persona Verbi per unionem hypostaticam aliaque dona consequentia accepit gratiam, sed potius fuit humiliata, formam servi accipiens ; gratiæ quoque humanitati factæ eidem, quatenus Verbo unitæ, debebantur per modum proprietatum.

3tiò. Satisfactio facta fuit ex propriis bonis : *Probat*ur : Satisfaciens erat Verbum subsistens in natura humana, cui satisfiebat, erat Verbum & cæteræ personæ subsistentes in natura divina ; atqui Verbum ut subsistens in natura humana, habebat plenum & perfectum dominium operum suorum satisfactoriorum ; ergo : *Mi. probatur* : Verbum subsistens in natura humana habebat dominium

& proprietatem suæ satisfactionis, non ratione divinæ, sed humanæ voluntatis, non quidem ut entitativè acceptæ; sic enim jure creationis & conservationis pertinebat ad divinum dominium, sed terminativè sumptæ, seu quatenus terminabatur à persona divinæ, sicque erat idonea producere satisfactionem infiniti valoris.

Si dicatur: Valor satisfactionis sumitur ex ipsa persona Verbi,

ædetur Distinguendo: Sumitur ex ipsa persona Verbi, ut subsistentis in natura humana Con. ut subsistentis in natura divina N.

4^{to}. Non fuit satisfactio aliàs debita, titulo multiplicante debitum; licet enim hæc satisfactio deberetur debito gratitudinis, Religionis & obedientiæ; hi tamen tituli causant quidem diversas obligationes, non tamen ad diversa materialiter debita obligant, ità ut ratione cujuscunque tituli novum debitum solvi debeat; sicut, qui promittit alteri 100. Imperiales, & postmodum emit merces pro 100. Imperialibus, 200. dare debet; quia diversi illi tituli non cadunt super idem materiale objectum debitum, sed super diversa; at quando diversi tituli super idem materiale debitum cadunt, & supervenientes tituli præcedentem obligationem confirmant, diversa debita non tollunt rigorem justitiæ; sic qui creditori suo in extrema necessitate constituto reddit debitum, ad quod se obligavit per votum, satisfacit justitiæ, Charitati & Religioni. Dicit etiam potest: satisfactionem Christi fuisse infinitam, non tantum in genere satisfactionis, sed etiam in genere cultûs divini, gratiarum actionis &c. & ideò, quia plures infinitates habuit, omnibus titulis plenè satisfecit vel quod satisfactio fuerit indebita à satis-

à satisfaciendo ut *quod*, qui est persona divina, esto fuerit ex aliis debitis ab humanitate, quæ non ut *quod* sed ut *quo* satisfecit quoad elicentiam operum, quibus fiebat satisfactio.

scò. Deus erat obligatus satisfactionem Christi acceptare, non quidem absolute, sed ex suppositione, quod Christum in vadem & fidejussorem pro debitore ad satisfaciendum impotente acceptaverit; quamvis igitur absolute Deus non teneatur acceptare satisfactionem, & ita, non obstante infinito valore operum Christi, adhuc potuisset homini lapsò denegare gratiam & gloriam; ex suppositione tamen, quod sibi velit juxta rigorem justitiæ per fidejussorem satisfieri, tenetur satisfactione Christi esse contentus, ita ut ulteriorem ac majorem satisfactionem petere nequeat.

Obj. Si Christus satisfecisset ex justitia, satisfecisset, ut æqualis patri, sed non ita satisfecit; ergo, Mi. probatur; Christus in quantum satisfecit, est inferior patri: quia satisfecit ut patiens, ut humiliatus, ut homo &c. ergo non ut æqualis Patri.

sz. Negando Mi. Cujus probatio distinguitur: Christus fuit inferior Patre, in quantum satisfecit, si in quantum reduplicet principium *quo* satisfaciendi Con. si reduplicet principium *quod* N. sic enim fuit æqualis, ut indicat Apost. ad Philip. 7. v. 6. *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Satisfecit ergo ut inferior ex parte naturæ, sed æqualis ex parte suppositi.

QUESTIO IV.

A qua virtute Satisfactio Christi processerit?

DICO. *Pretium redemptionis nostra homo Christus solvit immediate.* S. Th. hic Q. 48. a. 5. ad 2. Sive satisfactio Christi fuit actus justitiæ non legalis, aut distributiæ, sed commutativæ.

Prima Pars probatur: Satisfactio Christi fuit actus alicujus virtutis, quatenus tendebat formaliter ad reparandam æqualitatem Juris divini læsi per peccatum alienum: cum hoc objectum erat honestissimum; sed non alterius, quam justitiæ; ergo. Probatur Mi. Vel esset actus Religionis, vel pœnitentiæ, sed neutrum dici potest: non primum: quia Religio exhibet Deo debitum cultum propter excellentiam primi & universalissimi rerum omnium principii, non autem reparat jus divinum læsum, qui erat finis intrinsecus satisfactionis. Non secundum. Tum quia juxta S. Th. Virtus pœnitentiæ in Christo locum non habet; tum quia pœnitentia in illo supposito petit esse, quod divinam injuriam non potest reparare ad æqualitatem.

Secunda Pars probatur: Justitia legalis, quæ inter cives & rem publicam versatur, non respicit satisfactionem pro injuria, sed promotionem boni communis; atqui satisfactio Christi non per se primò ordinatur ad bonum totius generis humani, sed potius ad bonum divinum, compensando injuriam Deo illatam; ergo;

Tertia Pars probatur: Justitia distributiva respicit distributionem bonorum communium reipublicæ inter partes communitatis, facitque æqualitatem Geometricam, non autem Arithmeticam rei ad rem; atqui Christus satisfaciendo Deo pro peccato

De
peccato no
luit æquali
æqualem p
Quarta
ut Pl. 88. &
Christi sui.
magno. 1. l
genio redem
1. v. 30.
& justitia
tio, redem
stitiæ comm
2. Quia
mutativæ co
rigorosa just
tantum mor
sed Christus
te se obtul
pro peccatis
Obj. 1. l
commutativ
2. Disti
tis non dati
N. Ratio d
tuitò esse a
pendentiã a
a patre sine
cum omnin
Obj. 2.
tia commu
satisfactio
reciprocè e
dam aliam
ex justitia
mutativa,

peccato non distribuit bona communia, sed posuit æqualitatem rei ad rem dando satisfactionem æqualem pro offensa.

Quarta Pars probatur 1. Ex variis locis Script. ut Pl. 88. v. 52. Exprobraverunt commutationem Christi tui. 1. ad Cor. 6. v. 20. Empti estis pretio magno. 1. Pet. 1. Non corruptilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine. Ad Cor. 1. v. 30. Factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio, & redemptio; Atqui emptio, redemptio, commutatio significat actum justitiæ commutativæ; ergo.

2. Quia Christus explevit omnes justitiæ commutativæ conditiones, quæ præter conditiones rigorosæ justitiæ requirit debitum rigorosum, non tantum morale, sed etiam legale in satisfaciendo, sed Christus tale debitum habuit, postquam sponte se obtulit in fidejussorem ad satisfaciendum pro peccatis nostris.

Obj. 1. Inter patrem & filium non datur justitia commutativa; atqui Christus est Filius; ergo.

ꝛ. Distinguendo inter patrem & filium in creatis non datur justitia commutativa Con. in divinis N. Ratio disparitatis est: quod filius creatus gratuitò esse accepit à patre cum inferioritate & dependentiâ ab illo, in divinis necessariò accipit esse à patre sine ulla dependentia & inferioritate, imò cum omnimoda æqualitate.

Obj. 2. Si in Christo satisfaciendo detur justitia commutativa, ergo etiam in Deo acceptante satisfactionem erit justitia commutativa, ipse enim reciprocè ex justitia erit obligatus ad non petendam aliam satisfactionem; sed ubi est obligatio ex justitia commutativa, ibi etiam est justitia commutativa, ergo.

z. Distinguendo Seq. Ergo in Deo datur justitia commutativa virtualis & eminentialis Con. formalis N. est in Deo justitia commutativa eminenter, quatenus ex suppositione suæ voluntatis, quæ determinat ad acceptandam condignam satisfactionem juxtà ordinem justitiæ commutativæ, seipsum constituit debitorem non exigendi aliam satisfactionem, non verò est justitia formalis, quia Deus non constituitur Debitor per debitum legale resultans ex creata actione & jure activo satisfaciendis, sed ex propria sua determinatione; justitia igitur commutativa ex parte Christi non potuit inducere debitum rigorosum justitiæ formalis correspondens in Deo, ob ipsius incapacitatem, suppletur tamen illud debitum per hoc, quod divina voluntas se determinaverit ad acceptandam satisfactionem Christi pro homine, & hoc ipso ex debito justitiæ eminentialis obligatur, ut ulteriorem satisfactionem non exigit.

Obj. 3. Fidejussor non habet majorem obligationem, quam debitor principalis; atqui homo, qui erat debitor principalis non erat obligatus ex justitia commutativa satisfacere: non enim datur justitia rigorosa hominis ad Deum; ergo nec fidejussor tali justitiâ rigorosâ commutativâ satisfacere potuit.

z. Distinguendo Min. Homo non habet obligationem satisfaciendi ex justitia commutativa ob impotentiam & defectum subjecti divino dominio totaliter subjecti. Con. Propter defectum Juris activi in Deo N. Deus enim offensus habet jus ab homine aliam & aliam satisfactionem petendi usque in infinitum, quod jus activum non est adæquabile per satisfactionem puræ creaturæ, sed per solam satisfactionem Dei & hominis,

Obj. 4.

D
Obj. 4.
rosa oppon
cui oppon
rigorosa;
justitia comm
z. Disti
rosa, hoc
& perfectu
erat injuria
tæ habitui
Con.

Ex his
Christi dist
actus justiti
les, const
Deum offe
justitiæ hun
tes æqualit
jectum just
actiones T
finita exce
jus human
fundatum
justitia comm
ficientia, c
bat æqual
cessario, c
eminenter
cabilis
ti

Obj. 4. Actus justitiæ commutativæ & rigorosæ opponitur injuriæ rigorosæ; atqui peccatum, cui opponitur satisfactio Christi, non erat injuriæ rigorosa; ergo nec satisfactio Christi est actus justitiæ commutativæ & rigorosæ.

2. Distinguendo Min. Non erat injuria rigorosa, hoc sensu, quod non læderet jus rigorosum & perfectum formaliter vel eminenter N. non erat injuria rigorosa procedens ab habitu injustitiæ habitui rigorosæ justitiæ contrariè opposito
Con.

Ex his infertur: Justitiam commutativam Christi distingui specie à nostra Justitia: quia actus justitiæ Christi sunt Theandrici vel Dei-viriles, constituentes perfectam æqualitatem inter Deum offensum & hominem offendentem, actus justitiæ humanæ sunt actiones humanæ constituentes æqualitatem inter Deum & hominem, 2^{do} objectum justitiæ Christi est Jus divinum per solas actiones Theandricas adæquabile fundatum in infinita excellentia; objectum nostræ justitiæ est jus humanum adæquabile per actiones humanas, fundatum in Excellentia finita & limitata. 3^{io} Justitia commutativa Christi erat eminenter magnificentia, quatenus non tantum pro offensa reddebat æquale, sed etiam superabundans, idque necessariò, quia aliter satisfacere non poterat. Erat eminenter misericordia quatenus ille, qui impeccabilis erat, pro alienis offensis offerebat satisfactionem, quæ nostræ justitiæ non conveniunt.